



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs**

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

**Jansenius, Cornelius**

**Lovanii, 1640**

5. Etiam ceterae virtutes quidam affectus sunt dilectionis Dei. Ostenditur hoc de virtute Religionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13704**

## CAPVT QVINTVM.

Etiā cetera virtutes quidam affectus sunt dilectionis Dei.  
Ostenditur hoc de virtute Religionis.

**Q**UOD de quatuor istis virtutibus moralibus ostendimus, non aliud eas esse, nisi varios charitatis affectus, hoc idem in ceteris omnibus moralibus locum habet. Omnes enim ad illas quatuor velut quosdam cardines revocantur, & in operandi modo planè similes sunt. Quam ob causam videtur mihi Augustinus alias sub illis quatuor complexus esse. Religionem enim quæ præcipuè inter morales aeminet, sub iustitia collocare solet. Itaque virtutem Religionis, non solum generali ista consideratione, quia iustitia quædam est creaturae rationalis erga Deum, juxta illud Augustini pronuntiatum: *Iustitia porro ea virtus est, quæ suis cuique distribuit. Quæ igitur iustitia est hominis, quæ ipsi hominem Deo vero tollit, & immundis demonibus subdit? Hocne est sua cuique distribuere? An qui fundum auferit eius, a quo impius est, & tradit ei qui nihil in eo iuris habet, iniurus est; & qui seipsum auferit dominantis Deo, a quo factus est, & malignis spiritibus subdit, iniustus est?* Non hac ergo tantum consideratione, quia iustitia est, sed etiam speciali respectu quia Religio est, semper Augustinus eam nihil aliud nisi AMOREM DEI esse definit. Alibi hoc, nisi me fallit, diversis ex Augustini locis demonstravimus; ut hic unum aut alterum ejus testimonium sit futurum satis. Itaque in libro decimo de Civitate, de amore Dei & proximi disputans, qui duplici dominico præcepto commendatur: *Hic inquit, est Dei cultus, hæc vera Religio, hæc recta pietas, hæc tantum Deo debita servitus.* De quo paulo antè quoque præmiserat: *Ei suavisimum adolevit mensum, cum in eius conspectu pio sanctoque amore flagravimus.* Et in Epistola de gratia novi Testamenti ad Honoratum, ad ista verba Psalmi: *Qui timetis Dominum, laudate eum. Quis autem veraciter inquit laudat, nisi qui sinceriter amat? Tantundem ergo est, ac si di-*

*ceret: Qui timetis Dominum, amate Deum. Dixit enim homini sicut scriptum est: Ecce pietas est sapientia. Porro pietas CULTVS DEI EST, NEC COLITVR ILLI NISI AMANDO.* Et libro duodecimo de Trinitate: *Quis cultus eius (Dei) nisi AMOR EIVS, quo nunc desideramus eum videre, credimusque & speramus eum nos esse visuros.* Et Epistola vigesima nona ad Hieronymum: *Quid autem est pietas nisi Dei cultus? Et unde ille colitur nisi charitate.* Quæ sententia apud Augustinum sæpe, nec immerito celebrata est. Quisquis enim quempiam colit ac veneratur, quem non diligit, non ipsum sed id quod diligit colit. Id quippe colit quod ab alio, quem non dilectum colere videtur, nititur obtinere. Hinc præclare sanctus Augustinus: *Qui propter beneficia terrena Deum quærebant, non utique Deum sed illa quærebant, quia eo modo, timore secuti, non liberali dilectione Deus colitur. Sic ergo Deus non colitur. HOC ENIM COLITVR QUOD DILIGITVR.* Unde quia Deum rebus omnibus maior & melior invenitur, plus omnibus diligendus est ut colatur. Et quia non minus religionis actus Dei que cultus est oratio, de illa, quando non ex Dei sed rerum temporalium dilectione fluit, vide quid sentiat: *Nonne quotidie tales terrena diligentes, rogant Deum? Non rogant Deum. Attendite si possumus hoc dicere ad vivante ipso Deo. Deus gratis se vult coli, gratis se vult diligi, hoc est, caste amari, non propterea se amari, quia dat aliquid propter se, sed quia dat se. Qui ergo invocat Deum ut dives fiat, Deum non invocat. Hoc enim invocat, quod ad se vult venire, hoc est, quod diligit & habere cupit. Quæ de re plura dici possent. Sed ista satis patet aciem, nullam esse veram Religionem, aut cultum Dei, sed simulationem tantum & larvam ejus, nisi Deus sincere, & castè, hoc est, gratis & propter seipsum ex vera charitate diligatur.*

## CAPVT SEXTVM.

Idem declaratur in virtutibus Theologicis. Et primo in fide ex diversis Augustini principijs & locis.

**Q**UOD si vero ad ipsas duas primas virtutes Theologicas, fidem ac spem, animum advertamus, videtur quidem aliqua esse difficultas, quomodo & ista possint esse amor Dei; sed in Augustini doctrina res ista quoque certa est. Nullam enim & ipse agnosci fidem veram atque Christianam, nullam itidem spem, nisi ex Dei charitate dimanet. Quod quidem ex Augu-

stini principijs pluribus quam decem facile probaretur, nisi paucioribus expediri posset, aut pervicaci alicujus contestatione labor iste necessarius esse videretur. Tota quippe Augustini doctrina in hoc ipsum consonat. Paucis igitur contenti erimus, quibus tamen & quod istud revera docuerit Augustinus, & radix cur docuerit, sufficienter aperiat.

Augustinum igitur revera docuisse, quod